

## MONITUM

I. Quoties numerus ex auctoribus indicabitur, is ad tractatum de quo agitur, apud illos auctores referendus erit: sic, v. gr. si in tractatu de Legibus reperias S. Lig. n. 40, intelligas: S. Lig. n. 40, in tractatu de Legibus. Si quando autem locus citatus ad diversum tractatum spectet, id expresse indicabitur.

II. Auctores ad confirmandam doctrinam adductos, ad maiorem tractationis perspicuitatem post expositas rationes retulimus; non ideo igitur rationes, saltem omnes, iisdem auctoribus indiscriminatim adscribendae sunt; eorum enim testimonium ad doctrinae potius, quam ad rationum confirmationem adducitur.

## NOTANDUM

### CIRCA FORMULAS RESPONSIONUM SS. CONGREGATIONUM

Occurrunt nonnunquam in responsionibus S. C. termini non tam facilis intelligentiae. Explicantur.

*Dilata*, idest differtur respondere, ut res maturiori examini subiiciatur utpote difficilis solutionis.

*Affirmative et amplius*, *Negative et amplius*, idest cum res fuerit in S. C. satis superque discussa, et plenis votis prout iacet decisa, non amplius admittitur tale quaesitum.

*Nihil*, hoc est non admittitur petitio utpote incongrua.

*Relatum* vel *Lectum*, idest cum relatum, vel lectum fuerit in S. C. postulatum, non fuit admissum.

Qui modi haud contemnendi sunt, cum inducti sint ad evitandas longiores verborum circumlocutiones.

## COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

### TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

Cum Theologia Moralis tota versetur circa actus humanos dirigendos, exordium tractationis nostrae, prouti rerum ordo et communis consuetudo postulat, ab ipsis *humanis actibus* ducemus. Agendum igitur hic nobis est 1<sup>o</sup> de notione, 2<sup>o</sup> de principiis, 3<sup>o</sup> de moralitate actuum humanorum.

#### CAPUT I.

##### DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM.

1. — DEFINITIO. Actus *in genere* est determinatio potentiae, seu est facultas agendi in exercitio posita, vel etiam est exercitium facultatis agendi. — Ipsa potentia dici solet *actus primus*, et eius determinatio *actus secundus*.

Actus vero *humanus* ille est, qui procedit a deliberata hominis voluntate; seu est actus procedens a voluntate libera cum advertentia ad bonitatem vel malitiam actus.

Etenim ille solus potest dici *humanus* actus, qui procedit ab homine in quantum homo est, et differt a creaturis irrationabilibus (1). Porro

(1) Ex hoc dicendi modo neoterici quidam post Alasiam inepte concludunt, intellectus quoque actus quoslibet, uti sunt cogitatio, perceptio, iudicium, ratiocinium, itemque actus voluntatis etiam non liberae, prorsus esse *actus humanos*, quia, inquiunt, iis potentiis perficiuntur quibus homo essentialiter a brutis differt. Non intellexerunt isti scilicet, discrimen hominis a brutis heic a Doctoribus usurpari non solum quoad facultatum substantiam,

sed potissime quoad operandi modum (Vid. Suarez in 1. 2. Tract. 1. Disp. 2. Sect. 2. a n. 7.). Et iste quidem innovandi abusus hunc unice fructum asferre potest, tum ut homines se mutuo non intelligant, et controversias moveant, quae mere ex alterius sententiis non perceptis orientur, tum in Doctorum libris, imo et ecclesiasticis monumentis decretisque legendis gravissime errandi periculum subeant.